



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 210. Joannis Chartagenæ extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

que minoris nominis Scriptores ex eadem Societate hoc anno decessere Ferdinandus Alberus, Gregorius Roscius, Bidermanes, Crusius, Heumont, Escriva, Guerriero, Browarus & Gonzalez de Lofada.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CCX.

Joannis Carthagenæ extrema.

Ex celeberrima Sancti Francisci familia sat illustre lumen hoc anno extinctum est, Joannes Carthagena natione Hispanus, qui in studiorum decursu prout eruditione provehebat magis magisque, ita ad eandem mensuram intendebat virtutum ardorem. Juvenis adhuc Jesuitarum Societatem amplectebatur, maturior autem factus, eadem relicta, Fratribus Minoribus Sancti Francisci sese aggregabat, quorum institutione non modo in scientiis, sed vel maxime in Religionis, & proximi Zelo tam uberes collegerat proventus, ut primo Salmanticæ Theologiam aliquamdiu professus, Romamque evocatus, præclara admodum obsequia Ecclesiæ præstaret. Sedente Paulo V. rursus Theologiæ Professore agebat, atque exorta inter hunc Pontifi-

*Wading.
Bibl. F. F.
Minor. Haroldus in
addit. ad
Wading.*

tifi-

Sæc. XVII. tificem & Venetos controversia, varia
A. C. 1617. edebat scripta adversus eandem Rem-
 publicam, ex quibus potissimum cele-
 bratur tractatus *pro Ecclesiastica libertate, & potestate tuenda adversus Venetorum leges*, nec non alius, cui titulus: *propugnaculum Catholicum de jure belli Romani Pontificis adversus Ecclesiæ jura violantes*. Verum non omnibus probabatur acrior, quam par erat, hujus scriptoris calamus, sicut nec variorum, & præcipue Claudii Dausquii censuras effugere poterant ejusdem Carthagenæ *homiliæ Sacræ & morales de Religionis Christianæ arcanis*, in quibus hic Author Sanctum Josephum extra uterum fuisse sanctificatum asseruit, eumque ob anxietatem de Virginæ Sponsæ suæ conceptione Martyribus annumeravit. Tandem vero Neapoli beato fine quievit.

§. CCXI.

Joannis Jacobi Grynæi, Alberti Graueri, & Hoby mors.

Brun. vit.

Gryn.

Adam.

Melch. in vit.

Theol. Germ.

Inter Acatholicos scriptores, qui hoc anno decesserunt, celebrem se reddidit Joannes Jacobus Grynæus Bernæ natus. Hic Basileæ politioribus literis